



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

II. Quinam actus voluntatis sint in Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

est perfectio quædam formalis (libera ac voluntaria) in ipso Deo, ut significat Caietanus hic q. 19. art 2, refutatus à Gregorio de Valentia hic quæll. 19. punc. 2. Sequeretur enim, aliquam perfectionem intrinsecam de nouo Deo aduenire; sed signum & effectus perfectionis ac bonitatis eius, ut magis inferius constabit, quando de libera voluntate Dei ageretur. Et confirmatur assertio. Quia amare est bonum alicui velle: Deus autem vult rebus omnibus suum omne Esse, & quicquid in illis bonum est: quandoquidem Deus ipsa sua voluntate, causa est omnis eiusmodi boni; sine qua nihil essent omnia. Velle autem hæc omnia, constat ex assert. 4.

Vbi etiam S. Thomas q. 20. a. 2. optimè notat, discrimen esse inter amorem nostrum, & amorem diuinum. *Quia enim, inquit, voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea mouetur, sicut ab obiecto, amor nosser, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed e converso bonitas eius, vel vera, vel affirmata, provocat amorem, quo ei volumus, & bonum conseruari quod habet, & addi quod non habet: ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus.*

6 Assertio VI. Deus simplici affectu, seu amore complacentiæ vult etiam ac diligit entia mere possibilias. Ita cum alijs Valquez disp. 79. c. 2. quam ex communione doctrina Scholasticorum elicit: et si contrarium videatur sétiere Suarez l. 3. c. 6. n. 10. vbi quoad hæc entia, constituit discrimen inter intellectu & voluntate. Sed cū nostra etiam voluntas, in reprehensa, etiā vt mere possibili posset complacentiæ actu habere, cur nō & diuina? Accedit quod res mere possibilis, sicut entia sunt ita etiam sunt transcendentaliter bona, quid ni ergo etiā à diuina voluntate appetibilis? Plura infra dub. 4. vbi de libera & necessaria voluntate Dei agitur.

7 Assertio VII. Deo nō vult, nec velle potest malū, qua malū. Ita S. Thomas cit. q. 19. a. 9. ex communione. Ratio est. Quia adæquatū obiectū voluntatis formale quod (loquendo de actu prosecutionis seu volitionis, non fuga) est bonū vt bonū, vt dixim⁹ tom. 2. disp. 2. q. 2. dub. 1 cū S. Thoma cōtra Ockhami, & Nominales.

Assertio VIII. Deus non vult, nec velle potest malū culpæ, seu peccati formaliter accepti, sub illa ratione. Ita S. Thomas cit. a. 9. ex communione Doctorum in t. d. 45. Patet ex Scriptura, Psal. 5 v. 5. *Non Deus volens iniurias tuas. Sap. 14. v. 9. Similiter odio sunt Deo, impius, & impietas eius. Abacuc 1. v. 13. Mundi sunt oculi tui, ne video malum; & respicere ad iniurias non poteris: nimis mirum scientia approbationis, quae adiuncta habeat voluntatem & approbationem obiecti cogniti. Ratio est. Tum quia nullum malū recta ratione appeti potest, quod opponitur summo bono; cum malum tantum sit appetibile ratione boni adiuncti: peccatum autem aduersatur Deo ac summo bono. Tum quia alias Deo esset auctor & causa peccati: quod est non solū contra fidem, vt docetur in t. 2. sed etiā contra rationē: quia Deus peccatum omne prohibet; nec est ullū peccatum, quod non sit contra aliquam Dei legem, vt etiam suo loco diximus tomo 2. disp. 4. q. 9. dub. 4.*

8 Assertio IX. Deo tamē vult permissione peccati. Ita S. Thomas eod. a. 9. ad 3. ex communione, & patet ex Scriptura pallium; præteritum quād Deus dicitur *indurare, excusare, dare in reprobum sensum; quæad permissionem pertinent, vt suo loco docetur. Ratio est. Tum quia si non aliquo modo vellet permittere peccata;*

non fieret; Tū quia permittere ex iusta causa malum, etiam culpæ, est bonum: est autem iusta causa eius permissionis; tum vt relinquatur sua libertas creato arbitrio; tum vt ex peccato eliciatur maius bonum, non solum Iustitia diuinæ erga malos, sed etiam misericordia ergo eosdem, dum ad pænitentiam reuocantur, &c. De qua replura disp. 3. q. 1. dub. 2.

Assertio X. Malum solius penæ, seu naturæ, vult quidem Deus; at non per se, sed solum per accidens, quatenus ei coniungitur aliquid bonum. Ita S. Thomas eod. a. 9. & a. 10. ad 2. ex com. & patet ex Scriptura. Quod enim Deus velit eiusmodi mala, patet ex illo Amos 3. v. 6. *Sicut malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Quod vero malum pænæ per se ac prima intentione non velit, sed solum per accidens, & ratione boni adiuncti, patet ex illo Sap. 1. v. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec letatur in perdizione viuorum. Creauit enim, ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, &c. Impi autem manibus & verbis accersierunt illam, &c. Ratio est: quia quando cunq; aliquid malū coniunctum est cum aliquo bono magis appetibili, quam sit bonum, quo priuat malum, tum illud malum recte appeti potest: tale autem est malum penæ & naturæ; cum quo coniungitur bonum Iustitia diuinæ, & bonum ordinis naturæ, vt magis patet cit. disp. seq. de prouidentia Dei. Neque enim de his rebus in presenti pluribus agendum est. Atque hoc est, quod de vtroque malorum generes apienter notauit S. Augustinus in Enchirid. cap. 10. & 11. *Ex omnibus consistit uniuersitas admirabilis pulchritudo: in qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis.**

D V B I V M II.

Quinam actus voluntatis, atq; etiam virtutum Deo conuentant.

S. Thomas 1. p. q. 20. aa. 4. & q. 21. aa. 4.

9 *S*upponendum, actus voluntatis quatuor possunt modis variari ac distingui posse. Primo communissima illa ratione, qua actus cuiuslibet appetitus, alij quidē constitue dicuntur in appetitione seu prosecutione; alij in fuga. Secundo, ex ratione, qua passiones animi, seu appetitus sensitivi, propriè solent distingui: quo modo alij constituantur in appetitu concupisibili, vt amor, desiderium, delectatio; & his oppositi, odium, fuga, tristitia; alij in irascibili, vt spes, desperatio, audacia, timor, & ira; iuxta S. Thomam 1. 2. q. 23. a. 4. qui actus seruata proportione etiam ad voluntatem transferuntur. Tertiò dividunt penes eam varietatem actuum, qui voluntatis deliberativae proprij sunt; vt sunt intentio, elecio, vsus, fruitio. Quarto distingui possunt secundum diuisiōnem & varietatem virtutum, quæ in voluntate constituantur: de quibus nūc sigillatim agendum. Omitto actus vicios, vt inuidiae, aedie, &c. quos constat in Deo non esse.

Assertio I. Dantur in voluntate diuina actus, non solum prosecutionis, sed etiam fugæ. Ita supponit S. Thomas q. 20. art. 2. ad 4. vbi ait: *peccatores, qua tales sunt, a Deo odio haberi. Eadem est communis Doctorum sententia. Probatur apte ex illo Sap. 14. v. 9.*

Similiter odio sunt Deo, impius, & impietas eius. Ratio est; quia vti sapientis est, bonum amare; ita etiam fugere seu odire oppositum malum, qua tale est; cum vtrumque sit eiusdem rationis: nec est vlla voluntas, vel vllus appetitus, qui non etiam suo modo refugiat malum, quo appetit bonum. An autem ipse etiam actus odio fit quædam prosequatio, dixi tom. 2. disp. 2. q. 2. dub. I.

Affertio II. Ex actibus voluntatis, qui passionibus appetitus sensitivi respondent, eandemque cum illis appellationem sortiuntur, sine controversia, proprie ac formaliter in Deo est amor, & gaudium; & ex veriori etiam odium. Prima pars est S. Thomæ par. q. 2 o. art. 1. & seqq. ex communi omnium Doctorum. Et patet ex adductis Scripturis, & Patribus dub. præced. affert. 5. Apertissimum est illud Sap. II. v. 25. *Diligis omnia que sunt.* Accedit quod I. Ioan. 4. v. 3. dicitur; *Deus caritas est.* Quia si amor in Deo non esset, nullus planè voluntatis actus in eo esse posset; remoto enim primo, remouentur alia: est autem amor primus motus voluntatis, & cuiuslibet virtutis appetitus; in cuius ab iustis ordinibus cernitur. Primum enim actus prosecutionis, quia circa bonum versantur, priores sunt natura seu ratione actibus fugæ, qui circa malum versantur. Semper enim quod est per se, prius est eo, quod est per aliud: bonum autem principalius & per se est obiectum voluntatis & appetitus, malum autem secundariò, & per aliud, in quantum scilicet opponitur bono. Deinde in unoquoq; genere, id quod est communius, naturaliter est prius; sicut & intellectus per prius habet ordinem ad verum commune, quam ad particularia quædam vera: at verò amor respicit bonum sub communi, ori ratione, quæ reliqua passiones, quæ circa bonum versantur, idq; respiciunt sub particulari aliqua conditione seu ratione. Siquidem gaudium & delectatio est de bono præsentis & habito; desiderium autem & spes, de bono nōdum adepto: amor autem abstrahit ab vtroq; adeoq; respicit bonum in communi, sive sit habitum, sive non habitum. Est ergo amor naturaliter primus actus voluntatis & appetitus.

Quod ex eo etiam probatur; quod omnes alij motus appetitiui presupponunt amorem, quasi primam radicem. Nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum: neq; aliquis gaudet, nisi de bono amato. Odium etiam non est, nisi de eo, quod aduersatur rei amata. Et similiter tristitiam, ceterolq; eiusmodi motus necesse est in amore referri, velut in primum principiū. Ex quibus patet, in quo cuncti appetitiū habent necessariò constitendum amorem. Remoto n. primo, ut dictum, remouetur alia: cum igitur in Deo sit voluntas, ex dub. præced. necessario etiam ipsi amor tribuendus est. Ita ferè S. Thomas cit. art. 1.

Qui etiam. 2. docet, Deū amare creaturas, ac res omnes, que existunt, de quo dub. præc. Itema. 3. Deum non quæliter diligere omnia: sed ex parte obiectū, magis eos, quib⁹ maius vult bonū. Vnde colligit a. 4. Deum semper magis diligere eos, qui sunt, aut futuri sunt ipsa dilectione Dei meliores: adeoq; ut notat ibidem ad 1. & 2. Christum hominem, ac humanitatem Christi, plus quam omnes Angelos, & totam vniuersitatem creaturarum: quandoquidem amare Dei est velle bonum; & hoc ipso, quod aliquis est melior, adeoq; maiori bonitate prædictus, Deus vult illi maius

bonum: cum nisi Deus velleret, maiorem bonitatem nullo modo habere posset. Vbi tamen resp. ad 1. notat, pensandam esse bonitatē eius, qui amatū à Deo, secundū illud tempus quo dādū est ei, ex bonitate diuina aliquid bonū. Quaratione secundum tempus illud, quo peccatori prædestinato dandum est ex diuina voluntate maius bonum (æterna beatitudinis) melior est peccator (quam iustus præscitus), licet secundum aliquod aliud tempus sit peior. Disputat etiam ibidem S. Thomas respons. ad 3. & 4. Vtrum Deus plus dilexerit Petrum, an Ioannem; item an magis à Deo diligentur pñnitentes, an verò innocentes: sed quæ ad hunc locum non pertinent.

Secunda pars assertoris de gaudio, sive delectatione est S. Thomæ eadem q. 2 o. a. 1. ad 1. & communis Doctorum; quam tradit etiam Aristoteles lib. 7. Eth. c. vlt. vbiait: *Deum una & simplici operatione gaudere.* Et patet ex illo Psal. 3. v. 9. *Torrente voluptatis tua potabis eos;* & alibi passim. Ratio est. Quia gaudium seu delectatio, vt est actus voluntatis, nullam includit imperfectionem; sed significat quietem in bona a-mato iam posse; Deus autem in seipso velut sumo bono ac intime posse, penitus conquiescit; nullius præterea rei alterius indigens: Ergo, &c.

Tertiā partem assertoris, de odio, expressè docet S. Thomas cit. q. 2 o. art. 2. ad 4. quicquid alibi dixerit. Ita enim ait: *Nihil prohibet, unum & idem secundum aliquid amari;* & secundum aliquid odio haberi. *Deus autem peccatores,* in quantum sunt naturæ quedam amat. *Sic enim & sunt, & ab ipsis sunt.* In quantum verò peccatores sunt, non sunt, sed ab Ese deficiunt: & hoc in eis à Deo non est. Vnde secundum hoc ab ipso odio habentur. Vbi vides, simpliciter assiri ac defendi à S. Thoma, in Deo odium esse erga peccatores. Id quod ex eiusdem etiam sententia ita docent ac tuentur. Suarez libro 3. capite 7. & Vasquez disp. 84. cap. 3. contra Ferrariensem 1. cont. gent. cap. 96. & Capreolum in 1. d. 45. quæst. 1. art. 1. S. Thomam male expendentem; cum tamen ipse etiam Capreolus tandem ibidem responsio ad argumentum cont. 8 conclus. concedat; odium & displicentiam non reprehendat, respectu aliquorum defectuum.

Et quamus S. Thomas in 1. cont. gent. cap. 97. videatur contrarium huic assertioni docere, reuertam plus non vult, nec probat, quam hæc tria. 1. Deum non odie quicquam odio peruerso, quæ malum alicui velit, vt malum, idque nulla ratione, bonihonesti, vt solent facere homines, cum se inimicem peruerso odio prosequuntur. 2. nullam naturam per se odire, quia bona est. 3. nec odie etiam ullam substantiam intelligentē, aut creatam, etiam si peccator sit, in quantum est. 4. odium (inimicitia nimirum) propriæ solum esse erga personam, non erga malum, quod inimico volumus: cum tamen interim negarion non possit, nec ipse S. Thomas ibidem negat, sed potius aperte statis fateatur, odium abominationis vel maximè esse erga peccata, aliosq; defectus, &c.

Probatur hæc pars assertoris ex Scriptura sacra Sap. 14. versu 9. *Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius.* Et Psal. quinto versu sexto. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, &c.* Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Zachar. 8. v. 17. *Vnusquisque malum contra amicū suumne cogitans in cordibus vestris,* & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim ha-

sum,

sunt, quæ odi, dicit Dominus. Malach. 1. v. 3. & Rom. 9. v. 13. Eſau autem odio habui, &c. Ratio eſt. Quia odiū mali, ſiuē de odio inimicitia, ſiuē de odio abominationis ſermo fit, nullam includit imperfectionem: & sapientis eſt, non minus amare bonum honestum, quam odiſſe malum oppoſitum; cum vtrumque fit eiusdem rationis. Accedit quod Deus peccatoribus vtique vult malum ſimplieiter; quod nimurū nullo bono maiori ipſis obuenturo com-penſetur: velle autem ita malum alicui, eſt odiſſe.

Assertio III. In Deo item propriè elle videtur, tum desiderium, non quidem respectu boni proprij ac intrinſeci, ſed extrinſeci, maximè noſtri: tum fuga mali noſtri futuri, aut poſſibilis. Ita Suarez cit. lib. 3. cap. 7. & Vasquez disp. 8.4. cap. 1. non contradicente etiam Capreolo loc. cit. Ratio eſt. Tum quia reuera Deus ardenter vult & cupit noſtrum bonum futurum, nimurū vtiuſtē ac pīe viuamus; & refugit oppoſitum, ſceleratam ſcīlē vitam, quam in nobis vider futuram, iuxta illud 1. Thess. 4. v. 3. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio uestra. Tum quia de ratione desiderij & fugæ plus non eſt, quam velle bonum, abſens, & refugere malum futurum poſſibile, ſeu ſibi, ſeu alijs: quod ſane Deo modo explicato conuenit. Tum quia non eſt necesse, vt bonum vel malum, quod eſt obiectum vtriusque actus, sit futurum, respectu ipſius Dei volentiſ, aut etiam actu ipſius immanens: ſicut etiam ad præſcientiam futurorum non requiriunt, vt aliquid sit futurum respectu ipſius Dei præſcientis; aut præſcientia interni actus; ſatis eſt, quod omnia hæc ſint futura respectu alicuius temporis coexistentis Deo, & interno actui ipſius. Accedit quod de ratione desiderij & fugæ non eſt, vt bonum ſeu malum, quod respiciunt, re ipſa ſit futurum; ſatis eſt, quod vtrumque ſit poſſibiliter futurum; adeo vt nihil obſteret, quominus etiam in Deo deatur inefficax desiderium, aut fuga, boni, vel mali futuri poſſibilis, vt reſtē etiam Vasquez loco cit.

Neque ideo, quod res desiderata ſit præſens, cefſatiſ actus desiderij in Deo, ſecundum ſe, ſed ſolum quoad denominacionem extrinſecam, quam a futuritione obiecti ſoritur: ſicut etiam cum contingens futurum exiſit, non cefſat ipſa per ſe præſcientia diuina, ſecundum ſe, ſed ſolum ratione denominacionis. Neque S. Thomas q. 20. a. 1. ad 2. negat, in Deo actum desiderij, niſi respectu boni proprij & intrinſeci Deo, vt ex ratione, quam ſubijcit, abſentia coligitur, & recte Vasquez loc. cit. Si quis tamē diceret, de ratione desiderij eſſe, vt tendat in bonum futurum, qua futurum eſt, etiam respectu ipſius desiderant, & actus desiderij, is probabilitate negare poſſet, hunc actum eſſe in Deo. Eadem eſt ratio fugæ.

Assertio IV. In Deo non eſt propriè triftitia; nec ſpes; nec desperatio; nec audacia; nec ira; adeo quæ nullus ex actibus respondentibus appetitui rascibili. Ita S. Thomas q. 20. art. 1. ad 2. ex communī. Probatur ratione ſone S. Thomæ loc. cit. de singulis. *Quia in paſſionibꝫ, inquit, ſenſitivus appetitus, eſt conſiderare aliq[uid] quāſi materiale, ſcīlē corporalem tranſmutatiōne: & aliq[uid] quāſi formale, quod eſt ex parte appetitiua. ſicut in ira, vidiſſit in 2. de anima text. 15. & 62. materiale eſt accenſio ſanguinis circa cor, vel aliq[uid] hu[m]i]n[u]ſmodi; formale verò, appetitus vindicta. Sed rurſus ex parte eius, quod eſt formale, in quibusdam horum deſigna-*

tur aliqua imperfectione. Sicut in deſiderio, quod eſt bono non habuit; & in triftitia, quod eſt mali habitus. Et eadem eſt ratio de ira, qua triftitiam ſupponit. Quadam vero nullam imperfectionem deſignant, ut amor, & gaudium. Cumigitur nihil horum Deo conueniat, ſecundum illud, quod eſt materiale in eis, vt dictum eſt, illa qua imperfectionem importare, etiam formaliter Deo conuenire non poſſunt, uifi metaphorice ſecundum ſimilitudinem effectus. Quæ autem imperfectionem non important, de Deo proprie dicuntur, ut amor, & gaudium, tamē ſine paſſione, vt dictum eſt. Ita S. Thomas.

Et confirmatur particulatim de singulis. Etenim fieri non poſteſt, vt fit triftitia in Deo, quia eſt moleſta, & mali intrinſecē afflignantis mentem: nec ſpes, quia eſt boni ardui; Deo autem nihil arduum eſt: nec desperatio, quia impotentiam arguit operantis, dum non poſteſt acquirere bonum concupitum: nec audacia, quia non eſt niſi respectu obiecti ardui ac periculofoli; quale in Deo locum non habet: neceſtimor; quia eſt de malo futuro diſſiculter uitabili: nec ira, quia itidem respicit malum arduum, vt repellendum: licet Suarez loc. cit. putet, in ſuo formaliter conceptu non in cludere imperfectionem, ſicut nec vindictam. Sed contrarium exiſtimo verius cum S. Thomas; quicquid ſit de eius ratione.

Assertio V. Actus voluntatis deliberatæ proprij, ſuperius recenſuti omnes, nimurū intentio, electio, viuſ, fruitio, Deo proprie ac formaliter conueniunt. Ita Suarez lib. 3. cap. 7. num. 10. ex communī vſu loquendi Theologorum, qui paſſim Deo tribuunt elec-tionem, qua ſupponit intentionem; ſecundumque tra-hit vſum. Idem docet S. Thomas ſupra dub. 1. citatus, quando aſſerit, Deum velle bona creata propter ſe, vt fine. Probatur, tum ex Scriptura, qua Deo tribuit conſilium, quod eſt de medijs intentioni finis ſubordinatis. Vt Proverb. 8. v. 14. *Meum eſt conſilium*. Proverb. 13. v. 16. *Omnia agit cum conſilio Ephes. 1. v. 11. Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſue*. Eadem Scriptura frequentiſſime tribuit Deo elec-tionem. Vt Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipſo ante mun-di conſtitutionem*.

Ratio singulorum eſt. Quia intentio eſt voluntas efficax finis obtinendi: iam vero eſt interna Dei ope-ratio propriè non ſit propter finem, neque adeo respectu ipſius Eſſe diuini, causalitas finis locum vlu-m habeat, habet tamen locum respectu actionis Dei tranſeuntis, iuxta illud Proverb. 16. v. 14. *Vni-uersa propter ſe meipſum operatum eſt Dominus*.

Electio nihil aliud eſt, quam efficax voluntas medijs, & quidem vniuſis eſt pluribus: quod itidem nihil habet imperfectionis. Poſteſt enim, vt inquit Paulus, ex hominibus aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam ſuo arbitratu; vnde alios eligit, alios reprobat. Et in operibus etiam natura; ex infinito rerum numero & ordine poſſibili, hunc ſolum, quem videmus, delegit, &c. Plura de his disp. ſeq. quæſt. 5. dub. 2.

Vſus, eſt voluntas exequendi media electa; quam hoc ipſo vtique Deo denegare non poſſumus, quod in tempore omnia exequitur reipſa, prout ab eterno decreuit. *Quæcumque enim voluit fecit, in caelo & in terra. Psal. 134. v. 6.*

Fruitio denique nihil eſt aliud, quam quies & de-leclatio in poſſesso bono, ſeu fine, qui eſt Deus ipſe,

qui se ipso perfectissimè fructur, non quidem tantum finis ipsius, sed tamquam fine creaturarum, quas voluit esse propter se, tamquam finem.

Iam vero quod ad eam varietatem actuum voluntatis arinet, quæ ex virtutum partitione desumitur, agit quidem S. Thomas solum de virtutibus Cardinalibus, quæ in appetitu existunt: supponens, propriæ in Deo esse prudentiam, ex quæst. 14. & infra quæst. 22. sed ut doctrina sit planior, dicimus etiam aliquid de virtutibus Theologicis.

Assertio VI. Vt fides propriæ non est in Deo, ita nec est actus voluntatis, quem fides supponit: sed nec actus spei in Deo est, qua talis: est tamen in eo cum amor amicitia erga leipsum ac rationales creaturas, adeoque charitas; tum amor concupiscentię erga res omnes; in nobis aliquoqui ad eundem spei habitum pertinens. Priorem partem supponit S. Thomas, tum hoc loco quæst. 21. vbi de virtutibus, que in Deo sunt, agens, nec mentionem quidem fidei aut spei facit; tum in 2. 2. & 3. par. vbi omnibus beatis, ipsiique etiam Christo fidem ac spem denegat. Ratio est. Quia fides est obscura cognitio, & argumentum rerum non apparentium, vel loquitur Apostolus Heb. 11. Itaque nec credere, nec velle credere, esse potest in Deo, aut beatis. Spes autem est boni ardui, ex dictis superius.

Posteriorem partem de amore concupiscentiae, & amicitiae, adeoque de charitate, exprefso docet S. Thomas quæst. 10. art. 2. ad 3. & de amicitia suis docetur in 2. 2. de charitate. Ratio breviter est; quia ad amorem amicitiae pertinet, velle bonum alicui propter se, & ut ipsi bene sit; quo quidemmodo Deus sibi, & alijs, præsertim iustis, vult bonum. Amor vero concupiscentiae est erga illud bonum, quod volumus nobis, & amicis nostris; quomodo Deus vult omne bonum sibi, & electis.

Et rectè notat S. Thomas ibidem ad 3. erga creaturas irrationales non posse haberi amorem amicitiae, sed solum concupiscentiae: *Amicitia, inquit, non potest haberi, nisi ad rationales creaturas, in quibus contingit esse redamationem, & communicationem in operibus vite; & quibus contingit bene evenire vel male, secundum fortunam & felicitatem: sicut & ad eas proprie benevolentiam est. Creatura autem irrationale, non possunt pertingere ad amandum Deum, neque ad communicationem intellectualis & beatæ vitae, qua Deus vivit. Sic igitur Deus, proprie loquendo, non amat creaturas irrationales amore amicitiae, sed amore concupiscentiae, in quantum ordinat eas ad rationales creaturas, & etiam ad seipsum, non quasi eis indiget, sed propter suam bonitatem, & nostram utilitatem. Concupiscentia enim a liquid & nobis, & alijs.* Ita S. Thomas, Vnde colligitur, amorem concupiscentiae esse etiam erga creaturas rationales, atque etiam erga iustos, quatenus Deus eos vult sibi, ac in suum commodum, seu gloriam, &c. Quodvero honestus hic amor concupiscentiae in nobis ad habitum spei pertineat, suo loco de spe docetur.

Assertio VII. Ex virtutibus Cardinalibus, in Deo propriæ formaliter non sunt illæ, quæ circa passiones immediate versantur; ut Temperantia & fortitudo; item mansuetudo, atque aliae ijs adiunctæ: alia vero, quæ in voluntate insunt, & circa operationes versantur, vt sunt Iustitia, liberalitas,

& magnificencia; aliaeque his similes, propriæ sunt in Deo. Ita S. Thomas 1. p. q. 2 1. a. 1. in corp. & ad 1. ex comm. & intelligitur posterior pars non de omnibus virtutibus, quæ Iustitia annexatur, sed quæ, cum nullam speciale rationem imperfectionis formaliter contineant, quod ad hoc similes sunt Iustitia; vt mox speciatim de misericordia dicetur. Interim Religionem, obedientiam & si quæ sunt alii similes, quæ formaliter superiorē respiciunt; vt & studiositatem, quæ studiosa voluntate discendi & cognoscendi significat, &c. aliasque his similes in Deo non esse, per se satis constat. Ratio assertio est. Quia virtutes prioris generis, cum ex proprio & formaliter suo genere, circa passiones moderandas versantur, in Deo locum habere non possunt; quandoquidem Deus est expers passionum.

Iustitia autem, & aliae similes, quæ circa operationes versantur, cum nec ex obiecto suo, nec aliunde ipsam imperfectionem aliquam in sua formaliter ratione inoluant, recte ac propriæ Deo tribuantur; viuetiam scripturam ipsa frequentissimè Deo Iustitiam, liberalitatem, & magnificenciam tribuit. vt psal. 10. v. 7. *Iustus Dominus & iustitiam duxit.* psal. 144. v. 17. *Iustus Dominus in omnibus vixit;* & sanctus in omnibus operibus suis. Ibidem v. 15. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno. Aperi tu manum tuam, & imples omne animal benedictiones; vbi liberalitas Dei commendatur. psal. 8. v. 2. Eleuata est magnificencia tua super caelos. Exod. 15. v. 11. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

Et confirmatur ex S. Dionysio cap. 8. de diuin. nomin. vbi ait: *Itaque hoc verè dici potest, potius esse diuinæ iustitiae proprium, non demulcere & dissoluere virilem opum cuiusque animum, terrenorum bonorum largitionibus; nec si quis hoc facere conetur, auxilio, praefatioque desertus esse sinere; sed confirmare eos (aduerstibus) in præclaro, immutabiliquo statu, eisque qui eiusmodi sunt tribuere pro dignitate. Hac etiam diuinæ iustitia, ut omnium salus laudatur, quod suam cuiusque, & ab alijs solutam ac liberam essentiam atque ordinem conseruet atque tueatur, causaque sit sua cuiusque rei actionis. Et ibidem cap. 9. Quod si quis diuinum eiusdem, aut iustitiae nomen, quo scripta diuinæ utuntur, pro æquali accipiat, dicendum est, aquum esse Deum, non solum quod partibus non constet, nec usquam deflectat; verum etiam quod ad omnia, & per omnia æque perueniat; & quod ipsis æqualitatibus sit author, qua efficit, & omnium aliorum per alia, similem progressionem, & eorum, qui participant, æqualem communione, pro captiuo cuiusque, & parem largitionem, quæ cuique fit prodignitate; quodque omnem æquabilitatem, eam quæ animo cernitur, eam quæ mentis est, quæ rationis, quæ sensus, quæ essentie, quæ naturæ, quæ denique voluntatis, præcipue & coniuncte in se anticipatam habet; ut & potentia omnis æquabilitatis effectrice, quæ omnibus incedat. Quibus verbis ea potissimum diuinæ iustitiae functio describitur, qua Deus omnibus rebus, iuxta exigentiam & conditionem sua naturæ, seruata debita proportione, prouidet, ac sua bona distribuit.*

Qua de causa etiam S. Thomas cit. quæst. 21. art. 1. corp. Iustitiam solum distributiam Deo attribuit: commutatiuam antem, quæ consitit, in emptione

prione & venditione, & alijs huiusmodi communicatio-
nibus vel commutationibus, Deo negat; cum abso-
lute ait: *haec non competit Deo, quia ut dicit Apostolus,*
Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuet ei? In quæ
sensum S. Thomas etiam alijs quibusdā locis loqui-
tur; & sequuntur Ferrariensis lib. I. cont. gent. cap.
93. Caietanus hic q. 2 I. a. 1. & in 2. 2. q. 6 I. art. 4.
Sotus lib. 3. de Iustit. q. 5 a. 4. Bañes hic q. 2 I. art.
I. vbi suam sententiam mutat, alijque recentiores
Thomistæ communiter...

Alij vero, in quib⁹ Durandus in 4.d.4.6.q.1. Val-
quez hic disp. 86. & feret Molina, & Zutel hic q. 2 I. a.
1. vtramq; in Deo propriæ ac formaliter esse negat.
Alij in quibus Capreolus in 2. d. 27. ad 1. Gregorius
de Valentia hic q. 2 I. pun. 1. Albertinustom. I. prin-
cip. I. corall. 18. à n. 36. Suarez 3. p. disp. 4. sect. 5.
edit. antiqu. & opus. de Iustitia Dei sect. 2. n. 2. & 27.
& sect. 3. n. 33. (vbi quod inedit. noua. 3. partis aliter
ex parte visus est docuisse, explicat) commutati-
uum Iustitiam propriæ Deo tribuunt: quam certè v-
niuersim & absolute Deo denegare, non est consen-
taneū doctrinæ S. Thomæ in alijs locis, vt in 2. 2. q.
6 I. a. 4. & q. 108. a. 2. & in 3. part. q. 85. a. 3. ad 3.
Quem secum ipso ita conciliat Capreolus loc. cit. vt
cum negat S. Thomas, merita nostra per Iustitiam
commutatiuum à Deo compensari, afferat id intelli-
gendum de actibus meritorij, vt præcise emanantur
ab arbitrio creato; non vero prout simul oriuntur à
gratia; additæ & promissione diuina nituntur, vt recte
Gregorius de Valentia hic q. 2 I. p. 1.

Aut planius dici potest, S. Thomæ, cum hic do-
cet, in Deo propriæ non esse Iustitiam comutatiuum,
locutus est de contracta & materiali ratione eius Iu-
stitiae, prout inter homines est; & necessariò aliquā
rerum ac dominij, seu Iuris alienationem inuoluitur.
hoc enim vt sufficium, & non plus probat eius argu-
mentum: distributiuā verò propriae esse, quia di-
stributionis act⁹, seruata debita dignitatis propor-
tionē, saltem comuni quadā ratione propriæ in Deo
locum habet; cum tamen strictè & adæquatè ac for-
maliter spectata, secundū propriā debiti rationem,
in Deo non sit, vt ex Durando notauit Molina loco
cit. Sed de hac re ex instituto agendum est in 1. 2. de
meritis, & in 2. 2. de Iustitia, & in 3. part. de Incar-
natione; vbi satis prolixe de hac re agimus tom. 4.
disp. 1. quæst. 2. dub. 6.

Assertio VIII. In Deo propriæ etiā est Misericordia.
Ita S. Thomashic q. 2 I. a. 3. vbiait: *Misericordia Deo*
maxime est attribuenda; tamē secundū effectū, non secun-
dū passionis effectū. Quod ita intelligendū est, vt in
*Deo sit misericordia (quaten⁹ est ad⁹ voluntatis) se-
condū propriū suū actum & mun⁹, non tamē secundū*
passionis effectū, qui in nobis per accidens
solet esse adiunct⁹, & materialiter solum, ac ratione
*certi subiecti, non per se ac formaliter ad misericor-
diā pertinet; vt pote quæ ex sua formalī ratione, nihil*
*aliud est, quam affectus, seu voluntas subleuandi mi-
seriam alterius. Quæ etiam causa est, cur omnes*
Theologi propriæ Deo misericordiam tribuant, vt
recte Valquez hic q. 2 I. a. 3. & Suarez hic lib. 3. c. 7.
*num 15. Plura de hac varietate actuum diuinæ vo-
luntatis, ex virtutum varietate desumpta, Suarez in*
Metaph. disp. 30. sect. 16. à num. 37.

Assertio IX. Nulla virtus est in Deo sub ratione,

habitus; sed actus tantū: esto alioquin detur in Deo
potentia actiua voluntatis, & intellectus ab actibus
ratione distincta, de quo quæst. seq. Ita Capreol⁹ in
1. d. 45. q. 1. & videtur communis. Ratio est. Quia ha-
bitus significat aliquā perfectionē potentij natura-
libus superadditam, respectu eorum actuum, ad quos ipsa
naturalis potentia per se non est satis expedita ac
prompta in Deo autē ipsamerit voluntas & intellect⁹,
seu natura ipsa diuina, ad omnes actiones sibi con-
uenientes, est connaturaliter promptissima & expe-
ditissima. Quæ de causa etiam superioris de scientia
Dei diximus. 1. non esse in Deo scientiam, sub
ratione habitus.

D V B I V M III.

*Quotuplex sit diuina voluntas, ac
speciatim de voluntate signi & be-
neplaciti; antecedente & conse-
quente; efficace & inefficace: & an
voluntas Dei semper impleatur.*

S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. 11. & 12.

Tres sunt potissimum diuisiones generales ac cele-
bres diuinæ voluntatis. Prima est, qua voluntas
diuina alia dicitur *beneplaciti*, alia *signi*. Ita S. Thomas
1. p. q. 19. a. 11. ex comuni, ac recepta Doctorū senten-
tia. Circa quam partitionem tria notanda sunt.

Primum est, voluntatē signi, iuxta S. Thomam ibidē, & comūnem Doctorum doctrinam, quatenus
voluntas signi est, propriæ non esse voluntatē, seu vol-
litionē aliquam Dei; sed impropriæ tantū, & per met-
onymiam sic dictam, quod ex suo genere, ac in no-
bis (sed & plerumq; etiam in Deo, non tamē semper,
vt notauit S. Thomas q. 19. a. 12. ad 2. & inferius
contra Durandum dicetur) soleat esse signū talis cu-
iuspiam voluntatis erga rem, quæ dicitur voluta vo-
luntate signi: sicut diuinæ punitio, seu voluntas puni-
endi in Deo, vocatur impropriæ ira; quia illa in no-
bis soleat esse signū iræ. Voluntas autē beneplaciti, iux-
ta eundē & comūnem, est voluntas propriæ dicta,
per quam videlicet res ipsa sic voluta vere in se ipsa
placeat Deo: de qua voluntate, eiusq; actibus actum
est dub. 1. & 2. Deus enim hac ipsa voluntate bene-
placiti vult omnia, quæ facit. Vnde patet etiam, hanc
diuisionē solum esse analogi in analogata, vt recte
Caietanus hic q. 19. a. 11. & Gregorius de Valentia
q. 19. pun. 2. & alij.

Secundū notandum est, voluntatem signi à S.
Thoma cit. q. 19. a. 12. alijsque Theologis in 1. d.
45. rursum quintuplicem constitui; à totidem scilicet
signis diuinæ voluntatis desumptam; qualia sunt,
præceptum, prohibitio, permisso, consiliū, opera-
tio: quæ apud Durandum in 1. d. 45. & Gabrielem d.
46. & Caietanum hic cit. a. 12. isto verificulo com-
prehenduntur.

Præcepit ac prohibet, permitit, consulit, implet.
Vbi prohibitio dicitur voluntas signi respectu rei pro-
hibitæ, non secundum se; sed cum addito, ne fiat.
Permissio quoq; non est signum diuinæ voluntatis
erga peccatum ipsū, vt male loquitur Durand⁹ in 1. d. 45.
q. 3. n. 7. reprehens⁹ idcirco à Gregorio de Valen-
tia hic q. 19. pun. 2. sed solum erga non impeditonem
peccati.